

Prophetam Dominus increpat, dicens: canes muti non valentes latrare. Hinc rursum queritur, dicens: non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in praelio in die Domini. Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in praelio stare, est pravis decertantibus ex iustitiae amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga praebuisse? qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israël hostibus opponit. Hinc rursum delinqüenti populo dicitur: prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent. Prophetae quippe in sacro eloquio nonnumquam doctores vocantur: quia dum fugitiva esse praesentia indicant, quae sunt ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit; quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur: qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertoris, est sermo correptionis: quia increpando culpam detegit, quam saepe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Hinc per Malachiam dicitur: labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. Hinc per Isaiam Dominus admonet, dicens: clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Praeconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit: ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si praedicationis est nescius, quam clamoris vocem datus est praeco mutus? Hinc est enim quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi praecipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis